

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7327

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Vendôme, La Trinité (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1185

**Lieu d'émission :** Mayet

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Henri II promulgant un accord conclu, par ses soins, entre l'abbé de Vendôme et Bouchard, comte de Vendôme, en présence de Barthélemy, archevêque de Tours.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Metais Charles (Abbé), *Cartulaire de l'abbaye cardinale de la Trinité de Vendôme*, Paris/Vendôme, A. Picard et fils/C. Ripé, 1893-1897, 4 vol., n° DLXXVIII, t. 2, p. 445-448.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCXLVIII, t. 2, p. 262-264.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 262.

Texte établi d'après b

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, omnibus ad quos presens carta pervenerit, salutem.

Super controversia que inter monasterium Vindocinense et comitem ejusdem loci Bocharum diutius noscitur agitari, super quibusdam libertatibus et immunitatibus, quas prefatum monasterium adversus dictum comitem se multis privilegiis dicebat habere, et comes nihilominus contra idem monasterium quasdam consuetudines se et antecessores suos de jure habere dicebat, in presentia venerabilis patris nostri B., Dei gratia Turonensis archiepiscopi, inter dictas partes componere curavimus. De assensu ergo partium coram nobis statutum est ut dictus Bocharus, nec filius ejus aut heres, de cetero in monasterio Vindocinensi, nec aliqua ejus villa ad monasterium pertinente, procuracionem exigere possit vel exigat, sive tempore pacis sive tempore guerre ; taillias etiam in terra monachorum de cetero nullas faciet vel facere poterit, nec ipse nec heres ejus. Monachi vero, propter hanc sibi ab eo immunitatis concessionem, ex tribus de causis subscriptis eidem Bocharo et heredibus ejus reddere tenentur tria millia solidorum usualis monete, videlicet si filiam suam primogenitam maritaverit, prima vice quando Jerusalem proficiscetur, pro redemptione corporis sui quotiens captus fuerit de guerra domini sui comitis Andegavensis, vel de propria guerra que non sit contra comitem Andegavensem. Mensuram autem vini. etc., et post plura. — Si inter homines de burgo duellum fuerit, totum ad abbatem pertinebit. Si vero homo qui non sit abbatibus contra

hominem abbatis de burgo duellum facere debuerit, in curia Bocharidi duellum erit, et si talis fuerit causa pro qua pena mortis vel membrorum truncatio sequi debeat, et homo abbatis victus fuerit, ad prefatum Bocharidum justitia pertinebit. Si vero talis fuerit causa pro qua pena mortis vel membrorum truncatio sequi non debeat, et homo abbatis victus fuerit, tota justitia ad abbatem pertinebit, et post quamplurima. [De aliis autem hominibus monachorum qui non fuerint de burgo, totum ad abbatem pertinebit. Preterea quod terra de Puteo Odeline, boscus de Burleio et boscus de Castaneis cum medietate molendini de Chaillon erunt monachorum ; debent etiam habere monachi in foresta Guastine dimidium pasnagii, totam ceram et mel, et usagium sibi ad ignem totius monasterii, tam in sicco quam in viridi, et ad edificia facienda ; et si in foresta non invenerint, accipiant in defenso ; homines autem monasterii accipiant ad ignem de sicco, et ad edificia de viridi, ita ut nec dare nec vendere possint. Et per has conventiones debent esse monasterium et eorum homines liberi ab omni exactione et consuetudine, excepta consuetudine debita comiti in foro suo, excepto eo quod homines abbatis debent quindecim diebus per annum reparare fossata Vindocini, sicut alii homines baronum et militum terre. Debent etiam homines abbatis comitem juvare in guerra et equitatione pro terra defendenda, non contra comitem Andegavensem ; homines autem de marchia liberi esse debent ab hujusmodi consuetudine.] — Hec igitur compositio, in presentia nostra facta, ita debet firma manere, si summus pontifex eam voluerit approbare. Hoc autem juraverunt se firmiter observaturos Bochardus et Gaufridus filius ejus, Gombertus de Bulcheto, Robertus de Insula, Archembaldus prepositus. Hoc autem actum est anno ab incarnatione Domini M C LXXXV.

Testibus : cancellario filio nostro, Hugone Cestrensi electo, H. vicecomite Castriduni, Richardo vicecomite Bellimontis, Stephano de Turon[is] senescallo Andegavensi, Jouberto de Pellign., Eimerico filio Eudonis, Willelmo de Ostilli, Herveo preposito de Lochis.

Apud Maet[um].